

39
EXERCITATIO IVRIS FEVDALIS
DE
DOMINIO FEVDORVM
V T I L I

ILLVSTRIS IVRIVM CONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

CAPESSENDIS

AD D. XI. MENS. MAI. c*cl*l*cclxxx.*

PROPOSVIT

CHRISTI LEBRECHT SEYFERTVS
ADVOCATVS DRESDENSIS.

LIPSIAE
LITTERIS IACOBAEERORVM.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY
OF HANNOVER

THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY

OF HANNOVER

STATISTICS

ON

THE HISTORY OF THE HANNOVERIAN

STATISTICS

1801

BY J. C. F. H. LÜBBECKE, MEMBER OF THE HANNOVERIAN

ACADEMY OF SCIENCES, AND PROFESSOR OF MATHEMATICS IN THE

HANNOVERIAN UNIVERSITY. WITH AN APPENDIX, CONTAINING

AN EXPLANATION OF THE HANNOVERIAN STATISTICS, AND A

LIST OF THE HANNOVERIAN STATISTICS, WITH A HISTORY OF THE

HANNOVERIAN STATISTICS, AND A HISTORY OF THE HANNOVERIAN

STATISTICS, AND A HISTORY OF THE HANNOVERIAN STATISTICS,


AND A HISTORY OF THE HANNOVERIAN STATISTICS, AND A

HISTORY OF THE HANNOVERIAN STATISTICS, AND A HISTORY OF THE

HANNOVERIAN STATISTICS, AND A HISTORY OF THE HANNOVERIAN

HANNOVERIAN STATISTICS, AND A HISTORY OF THE HANNOVERIAN

HANNOVERIAN STATISTICS, AND A HISTORY OF THE HANNOVERIAN



§. I.

Instituti ratio.



Quantum a Ciceronis praeepto,^{a)} non a Praetoris Edicto, neque a XII. Tabulis, sed penitus ex intima philosophia hauriendam esse iuris disciplinam, recesserimus, et quantum vel detrimenti vel difficultatum ex introductione legum peregrinarum atque adeo diuersarum patrii iuris cognitio nostris temporibus senserit, non potest non fore, quin ii optime diiudicent, qui sive in interpretatione sive in applicatione earum haud exiguum impenderint diligentiam. Nostra

A 2

enim

a) De Leg. c. I.

enim iurisprudentia, cum philosophiae praeceptis maximam partem tribuere debeat, ex historiarum et antiquitatum fontibus, ex peruersa consuetudinum externarum et internarum plane inter se non conspirantium coniunctione, et more maiorum vetustatem redolente, ex clericorum opinionibus et ecclesiae machinationibus reipublicae non salutaribus orta atque composita, in tantam molem extevit, ut iam nexum legum, quae varias gentes obstrinxere, et e quarum fonte iura nostra deriuant, detectu sit difficillimum. Fluctuanti igitur tantum inter historiarum et antiquitatum romanarum delicias, nec vñquam in nexus peregrinarum et patriarcharum legum, ut quid conueniat nostris moribus, quid non intelligat, sedulo inquirenti, laboris palma non magis obuenire posse videtur, quam illi, qui singula ex philosophiae principiis, reiecta omni vel antiquitatis vel historiae cognitione, vnicce deducere conetur; cum tamen ad solidam legum explicationem veraque iis vtedi rationem et origines et caussas earum intime nosse interest. Quare ut non Latii nodos tantum addiscere studeamus, sed ut et patriae historiae, moribus maiorum, verae, que non simulatae philosophiae operam demus necesse est, ut his instructi praesidiis singulas iuris controversias in tanta tamque indigesta legum mole tractemus, hasque ipsas leges quasi in discordem concordantiam redigamus, qua ratione summi Legislatores exteris vii principiis sint, demonstrando. Evidem quam mihi scribendi materiam

sumsi,

5

sumsi, eam ob originis imperitiam saepe corruptam ab his,
qui omnia ex principiis vel historiae vel antiquitatis et phi-
losophiae romanae explicanda censuere, saepius vitiatam
ab illis videmus, qui paternas consuetudines cum exterarum
gentium moribus indocte inepteque commiscerunt et
coniunxerunt, non cogitantes, vtile illud, quod vocamus,
dominium esse prorsus germanicae originis, nec quicquam
cum usufructu romano alioue Quiritium iuris contractu
commune habere. Quamquam igitur exiguitatem ingeñi
et lectionis curtam suppellectilem parum ausib⁹ non vitu-
perandis respondisse optime sentiam: prodeat tamen in
publicum tenuis hic libellus, cuius-materia iuris cognitio-
nem cum rerum gestarum notitia consociatam requirit.
Nam cum ex academiae legibus a que institutis scribendi
periculum faciendum sit, et tenacem propositi esse deceat,
benignitate eruditorum fretus, spero fore nonnullos, qui
has iuueniles lucubrationes sua censura non omnino indi-
gnas iudicent et secum reputent, in eodem argumento alios
quidem bene multos docte et operose laborasse, nonnihil
tamen spicilegii reliquisse. Quam ob caussam mihi visus
sum facturus esse operae pretium, si dominium vasalli vtile
explicarem et peregrino vestitu exuerem, statueremque
iustos eius et directi dominii limites atque utriusque diffe-
rentias recenserem: quam fideliter feliciterque, alii iudi-
cent.

A 3

§. II.

De utilitate doctrinae de utili dominio.

Latissime autem patere vsum doctrinae de utili vasalli dominio, his etiam temporibus facile intelligitur, quibus feudale vinculum omnes fere Germaniae populos, modo laxius, modo arctius constringit, et exigua atque imperfecta clientelarum erga dominos obligationum, cum indeole et natura dominii utilis maximam partem coniunctarum, cognitio saepe ingentes et cruentas altercationes peperit; his, inquam, temporibus, quibus iura clientelaria insignem iurisprudentiae pragmaticae partem constituere tanto magis debeant, quanto plura prostant exempla beneficij, ex ignorantia iurium, quae utili dominio non inessent, in commissum cadentis, aut aliarum certe poenarum incommodorumque eam vasallorum inscitiam fecuta. Itaque magna circumspectione opus est, ut limites dominii, quod vocant, directi et utilis iuste ponamus, ne cum illis iureconsultis, qui hoc cum usufructu vnum idemque esse, coeco erga ius romanum amore abrepti statuunt, dominio vasallorum utili quicquam detrahere, nec cum aliis directo plus, quam inest, indulgere, nec utile iusto magis extollere, atque ex hoc diuersarum sententiarum, quae et diuersas dominii utilis species confundere solent, agmine, dominorum clientumque bella litesque perennes excitare indocti studeamus. Sed ut fines propositos aliqua ratione consequamur nec

trans-

transgrediamur, primum quid sit dominium vtile, ex ipsa rei origine et natura demonstrabimus et iusta definitione concludemus, ac inde eius partes atque effecta commemorabimus, tandem de formis eiusdem pro indole feudorum diuersis, adspersis nonnullis cautionibus, differemus.

§. III.

Originatio dominii vtilis.

Feudorum dominium a Doctoribus in directum et utile diuidi, et methodi caussa excogitata esse haec nomina, quorum utrumque dominium minus plenum significet, vel dupondiis notum; sed unde nata aut sumta haec vocabula, inter eruditissimos disceptatum est. Non cum re ipsa ortam, sed sequiori aeuo natam hanc denominationem, omnes consentiunt. Vir magnae eruditionis et famae Nicolaus Hieronymus Gundlingius^{b)} vocem *directi* germanicam et e vocabulo *recht* formatam existimauit, eo facilius in hanc sententiam inductus, quod pleraque iuris clientelaris vocabula germanicae originis esse viderat; sed, quanquam *rechts* et *recht* idem utriusque idiomatis verbum esse nemo temere negauerit, si tamen alius penetrasse et rem penitus perspexisse videntur, qui dominii vtilis et directi divisionem factam ad exemplum distinctionis actionum directarum atque vtilium, a iureconsultis Romanis excogitatae, animadvertiscant.

b) Gundlingian. P. XII pag. 156.

vertunt. Cum enim ager vectigalis vel emphyteuticarius
vtili vindicatione ab emphyteuta directe a domino petatur,
iureconsulti Botonienses diuisi inter vtrumque dominii par-
tes (nam prosector ius emphyteutae, quanquam non verum
dominium, ipsi tamen dominio proximum est,) iisdem ver-
bis appellauerunt. Nec substituit in eo illorum sollicitudo.
Sed cum omnia germanicarum nationum iura cum legibus
romanis componere et in vnam quasi artem formamique
redigere conarentur, romana etiam nomina ad contractus
Germanis proprios et noua nostri moris negotia, sicuti cum
romanis aliquid similitudinis apprehendissent, adhibuerunt.
Quo ingenio sensuque contractum feudale cum emphy-
teuticario comparantes, c) statim domino vel seniori direc-
tum, vasallo vtile dominium tribuere, vtpote qui iuri
nostro optime consultum putarent, si obstetricante nomi-
num paritate, contractui longe diuerso etiam leges exteras
ob patriarum inopiam earumque nouum usum introducere
et firmare studerent; atque ita domino directas, vasallo
vtiles actiones quasi ex directo et utili dominio natas, com-
mixtis feudi et emphyteuseos iuribus, communis lege dari
contenderent. Non iuvat in tempus, quo haec denominatio
frequentior facta sit, inquirere; sane medio seculo XIII.
saepe eam iam usurpauit Cardinalis Hostiensis d).

In
Germania

c) Tasq. Achat. Beck. de paribus Ministri et Vasalli iuribus cap. 3.

d) Summae tit. X. de feudis.

Germania autem sensim paullatimque iureconsulti ex scho-
la Bononiensi reuersi eadem vñ esse videntur, quam saecu-
lo XIII. iam ita cognitam perspectamque habuerunt, vt et
directi et vtilis dominii vocem in diplomatis eo tempore
confectis obserues, ^{e)} saepe illam sequenti aeuo repetitam
et in patriis scholis doctrinae caussa, etiam a sapientissimis
iurisprudentiae magistris, qui nossent, minime esse mutan-
da, quae interpretationem certam semper habuissent, ^{f)}
retentam.

§. IV.

Variae denominations dominii vtilis adducuntur.

Sed et aliis nominibus iura vasalli in feudo insignita
fuerunt, quae quidem omnia recensere nec vacat nec libet,
cum vel eorum, quae ante verborum dominii directi et vti-
lis frequentiorem vsum in disciplina iurium clientelarium
adhibita sunt, numerum inire difficile sit. Nonnulla com-
memorare sufficiat. Quanquam feudum saepius pro re in
feudum data accipendum, multis tanen locis iuris feuda-
lis Langobardici, ius ipsum vasalli in feudo, ea voce deno-
tari, satis cognitum est. Sciendum enim, I. Feudor. 25.
dicitur,

e) Chr. Lud. Scheidt Tr. vom
Abel pag. 273. et in deduc. de do-
minio et adiutoria Molnensi: Boch-
meri Princ. Iur. Feud. cap. I. §. 2.

f) L. 23. P. de legibus et SCdis
Mafcov. Princ. Iur. Feud. Cap. XI.
§. I. not. 1. ad *. Ill. Hommelii
academische Neden, etc. pag. 362.

not. a.

B



dicitur, feudum, id est, ius vasalli in feudo, sine inuestitura nullo modo posse constitui; sic et Obertus de Orto II. Feud. I. §. 1. feendum, sive beneficium, ait, in rebus soli aut solo cohaerentibus consistere; saepenumero et vtile dominium *beneficii* nomine expressum legimus in iisdem feodorum libris, ita ut feendum et beneficium interpretationis causa coniungantur, alibi §) hoc unum, quo etiam vetus auctor de Beneficiis vsus est, absque altero positum, omnem complexum iurium clientelarum manifeste significet. Anxie inquirentibus, ut voce romana vasalli dominium describere possent, obuenit *vſuſructus* vocabulum, quo II. Feudor. 23. illud exprimitur. Nec defuere, qui ius clientis in feudo et *vſumfructum*, Romanis ex caufa seruitutis vindicatum, vnum idemque esse, statuerunt, cum tamen a natura negotii longissime recedant, quotquot *vſuſructui* ea, quae dominio utili, nec plura huic iura, quam illi, inesse arbitrantur, Obertumque et caeteros omnes, e quorum scriptis libri feudorum Langobardici compilati sunt, vti ex innumeris patet locis, ex superanti iuris ciuilis amore, multa romana vocabula explicationis ergo inferuisse, quin dominorum maiora, minora clientum in Italiae feudis, quam beneficiaria formula apud Germanos memoret, et nostra propitior clientibus consuetudo ferat, explicata dedisse, non videant. Germanicae originis gentibus vasalli iura in feudo *vſuſructus*

§) II. Feud. 23.

ctus verbo exprimere nunquam placuit, quicquid etiam
Beyerus et Senckenbergius de vſuſructu germanico sine au-
ctoribus dicant. Sollicite enim cauerunt, ne quid ea iura
ex nomine detrimenti caperent, quae vel apud Italos vſuſ-
ructu pinguiora viderent, et quibus ipsi magis magisque
ampliandis intenti essent. Itaque nominibus omnibus, quae
vasallorum nexum nimis adſtrigere eorumque ius in feudo
aliquantum minuere viderentur, paullatim reiectis, condo-
minii clientelaris, dominii vtilis, condominiumi vtilis, nomen
des nuzbaren Eigenthums, des nuzbaren Miteigenthums,^{b)}
praetulerunt, eoque frequentissime vſurpatō maxime in tu-
to collocari vasallorum iura, non incallide censuerunt.
Nam significatum dominii vtilis tantum ex imitatione nomi-
nis actionum vtilium, quas iura romana docent, non ex
harum indole, plane abſona, originem suam cepisse, si do-
minium vtile, quibus ortum fatis, quibus auctum incre-
mentis, et quae eius vera natura sit, paullo altius repeta-
mus et aestimemus, luce meridiana clarius eluceſſet.

§. V.

De genesi et incrementis dominii vtilis.

Iis iam temporibus, quibus Germania plena adhuc vſa
est libertate, duces, bellorum gerendorum cauſa electi,
plus ſaepius auctoritatis et iis finitis domi adſectorunt, quam

B 2

milites

b) Rayfer. Recht, lib. 3. cap. 12.



milites iis tribuendam censuerint. Eam ut sustinerent et magis in dies confirmarent, ne alia regnandi studia artesque commemoremus, comites in primis domi ipsis aequales, singulari amore, fiducia et beneficiis conciliando sibi et deuinciendo nouerant, quorum consilio, opera et fide in pace et bello maxime vterentur. Ducum quidem et comitum paritatem domi, et quo modo duces ex virtute sumti, nec populo suo, ut reges, perpetua lege, sed exercitu in hostem ducto militiaeque, dum bellum duraret, praefecti sint, haud obscure Tacitusⁱ⁾ indicat. Rem Saxonum antiquorum exemplo Beda^{k)} illustrat, testatus, eos „regem non habere, sed satrapas plurimos suae genti praepositos, qui ingruenti belli articulo mittant aequaliter fortes, et quem fors intenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequi et huic obtemperare, peracto autem bello, rursus aequalis potentiae omnes satrapas fieri.“ Sed ipsae tandem bellicae occupationes tum augendae, tum perpetuandae ducum potentiae auctoritatisque occasionem praebuerunt. Cum enim victor miles adem tam hostibus terram partiretur atque vnicuique sortem suam pro parte victoriae attribueret, in his sortiendis duces, velut apud eas regiones, quae regabantur, etiam reges, portiones, ut par erat, maiores ceperunt, et liberalitatis aduersus comites, quibus horum humanitatem

i) De morib. Germ. c. 6. 7.

k) In Hist. Eccles. gent. Anglic. I. 5. c. 12.

manitatem et fidem vel remunerarentur vel promerent, largam habuerunt materiam. Exempla ducum ipsi comites aemulati sunt, qui suis etiam clientibus sive de beneficio, quod ipsi accepissent, sive de bonis, quae pleni dominii iure ad ipsos pertinerent, praedia ad vtendum frumentum dederunt. Ortis vero maioribus regnis, ut Langobardorum et Francorum, qui tandem et Langobardos et tot alios populos sibi obnoxios reddidere, quis nescit, Duxes, Marchiones, Comites, eam ipsam ob causam Capitanos appellatos, a rege, ab iis iterum valuafores, ab his valuaffinos tenuisse feuda.¹⁾ Quorum omnium causa hoc unum ad rem nostram obseruare necesse est, qui ipsas fortes in diuisione terrarum vnicuique obuenientes, veluti Vandalicas^{m)} et Burgundicas,ⁿ⁾ beneficia vel feuda existimant, vehementer errare. Omnino enim et illae et ipsae apud Francos terrae Salicae pleno ad quemcunque, cui primum obtigissent, eoque hereditario iure pertinuerunt. Nec Salica lex, ne villa hereditatis portio ad mulierem veniat, e Salicis herediis beneficia constituit. Quemadmodum enim hodierni etiam multarum familiarum illustrium ac nobilium mores filias ab allodiis paternis, ut splendor gentis in filiis

B 3

con-

1) I. Feud. 10. Otto Frising. de Gestis Frider. I. l. II. c. 13. Bruno de bello Saxon. p. 210. cf. Illust. Krebelii diff. inaug. de diuersis Vasallor. ordinibus.

m) Mascov. Geschichte der Deutschen l. IX. §. 19.

n) Mascov. l. c. T. II. Anmerk. p. 11, 12.

conseruetur, excludunt, sic idem vetustissimi iuris Germanie apud omnes fere nationes originis nostrae ingenium fuit; causa vero mulieres in partiendis hereditatibus posthabendi eo aeuo etiam maior, quo populus bellicosus rem publicam vnicce ad militiae legem ordinauerat.^{o)} Itaque etiam cum praediis liberis et nobilibus coniuncta militandi necessitas. Beneficiarios autem partim ad militiae et rei publicae munera obeunda, partim ad aulae ministerium ad strictos fuisse, hoc loco non attinet dicere. Caeterum et si facissime factum, ut omnis generis beneficia clientum etiam liberis redderentur, hanc tamen successionem certe ante Conradum II. Imp. arbitrio tantum et liberalitati dominorum, atque interdum singularibus pactis, non iuris generalis et perpetui necessitate permittam esse, omnes consenserint. Itaque verius est, principio feuda precario, deinde ad vtendum fruendum concessa, quam omne utile dominium ab ipsis feudorum incunabulis in vasallos translatum fuisse.

§. VI.

Continuatio originum dominii utilis.

In vetere Francorum regno sub regibus Merouingiae et Carolingiae stirpis nobilium et ingenuorum praedia in proprietates et beneficia diuisa legimus; illarum intuitu nobiles

^{o)} Heumannii Crispi der Gesetze der Deutschen C. VI. §. 2. cap. XVIII. §. 3.

biles in primis, qui maiora latifundia tenebant, liberi domini, horum ratione fidelium nomine insigniebantur. Sed diuersos vtique significatus habet fidelium verbum. Nam in numero fidelium regni habitos esse etiam eos, qui nihil, nisi propria bona possidebant, et ciuili, non feudali vinculo adstricti regi et rei publicae fidem obsequiumque promisebant, non ambiguum est. Saepissime tamen omnium ordinum clientes eo nomine appellati, quorum nexus strictorem, subdititio autem dissimilem fuisse, regnante Ludouico Pio quidam liber dominus beneficia recusans ostendit^{p)}. Proprietatum et beneficiorum discrimen vbius Capitularia memorant. Ita libr. 3. c. 19. 20. auditum habemus, qualiter et comites et alii homines qui nostra beneficia habere videntur, comparant sibi proprietates de ipso nostro beneficio. Affectantibus vero regibus strictorem in clientes censuram, libertatem Germanorum hactenus aduersam habuerunt, vt nexus feudalium magis magisque laxaretur ac debilitaretur. Reges ne, urgente necessitate, indigerent milibus, et vt renitentium quoque fidelitatem sibi conciliarent, haec ipsa beneficia saepe optimis conditionibus tradiderunt. Quodsi vero Merouingici et Carolingici Reges atque imperatores ea in possessionem sempiternam commutasse leguntur, caue, feuda hereditaria inde efficias. Nam magis est, vt eo tempore beneficiorum in allodia transmutatio

p) Chronic. Weingart. in Leibnitzii Script. Brunsw. T. I. pag. 782.

tatio facta intelligatur. Sic largitas Ludouici Pii, villas et regias fidelibus suis in possessionem perpetuam, testante Thegano, concedentis, arguitur; et saepe sequenti aeuo Cae-fares Augusti, ne nobiles libertatis germanicae studiosi, intentique latrociniis et ciuilia detrectantes obsequia regiae potestati fierent noxii, non tantum, vt quilibet suum seniorem haberet, in comitiis pertulerunt, verum aliorum etiam ferociam insigniori liberalitate, qua vel liberis parentum beneficia se reddituros esse pollicebantur, vel ea omnino in heredia commutabant et in perpetuam possessionem tradebant, vicerunt. Caeterum fideliū communī confilio usi sunt, ad sensum in rebus publicis et diiudicandis ipsorum controvēsiis, unde origo parium curiae, requisiuerunt, adiecta tamen, vt essent fideles et obedientes, veri regiae potestatis et salutis publicae adiutores et cooperatores, conditio-ne. In caeteris vasalli statum suum retinuerunt. Itaque non dura victoriae lex vasallagium, cum duces et proceres nationum deuicti non ipsis possessionibus, quae fons semi-piternorum bellorum fuisset, sed proprietate tantum multabantur nexusque feudali obstringebantur, vt facilius in obsequio et fide retinerentur. Atque vt eius deuotionis memoria animo nunquam excederet, adhibita sunt fidelitatis promittendae publica symbola, quibus domini affectum vasalli amorem cum reverentia declararent. Tacti etiam animi vasallorum iuris surandi religione, et reiterata promissio, sive vasallus, sive dominus mutaretur.

Ita

Ita duplex fidei vinculum, religio et possessio feudi, quae tandem cum eo iure coniuncta est, quam dominium utile appellamus. Exempla haec, cum votis exacte respondissent, commouere potentiores fideles et quasi regiae gubernationis adiutores, ut et in eorum terris suis quisque ditioribus fidem impotentiorum pari modo adstringerent, quo magis et auctoritatem suam tueri et vel accrescenti regiae potestati, vbi opus videretur, resistere possent, et aulicum comitatum splendoris cauifa, tum vero etiam militum cateruam contra aggressiones aliorum hostiles haberent, quibus omnibus particulas vel allodii vel feodi, illas in feudum, has in subfeudum dedere. Denique truculentarum diffidationum ferocia multos et maiorum et minorum proprietatum possessores coagit eas vel regi, ducibus et comitibus, vel etiam ecclesiae offerre, vt potentiore tutela et patrocinio fruerentur ac sub treuga ecclesiastica bellorum intestinorum rabiem effugere possent. Pacta tandem diversa dominio utili formas impresserunt, quae ea iura a tribuere, quibus nostris temporibus uti solemus.

§. VII.

Quaedam conclusiones adducuntur.

Dominii utilis itaque in feudis imperii Germanici maioribus et prouincialibus eadem fere esse incunabula eamdemque originem, modos vero conditionesque, cum omnia

C

pactis



pactis definita, valde diuersa, nemo in dubium vocauerit. Et quidem omnis generis beneficia sive aulicis et palatinis sive militibus distributa, nisi singularis pactio liberis prospexit, ad hos non aliter, nisi ex domini gratia peruererunt. Deinde cum Conradus Salicus constituerat, ne militum beneficia liberis auferrentur, quin certa ratione etiam fratribus redderentur, ministeriorum et feudorum quoad successionis iura factum esse insigne discrimen, ii potissimum viri eruditii animaduertunt, qui, velut Ge. Lud. Bochmerus ^{q)}, ab eo demum tempore veros feudorum origines repetunt. Hanc constitutionem Conradi II.^{r)} essi a Lothario II. repetitam et vehementer auctam, sive quod ad maiora imperii feuda atque ad ea, quae non ab imperatore, sed ab alio domino profecta essent, haud pertinere videretur, sive aliis de caussis, de quibus in praesenti dicere instituti nostri ratio non fert, sero demum per omnem Germaniam obseruatam diuque feuda personalia tantum fuisse, aequa tralaticium est, atque omnes nouerunt, ministeriales tandem se militibus ingessisse et accepta pro aulico seruitio ministeria commutasse in feuda. Aucta vero cum ipsa perpetuitate sive successionum iure esse utilis dominii iura, quis abneget? Nobis quidem haec duo tantum monenda et ad*iicienda*

^{r)} Ap. Senkenberg, comp. iur. feud.

^{q)} Princ. iur. feud. §. 15. cf. eiusd. p. 432. add. Wippo in vita Conradi Salici ap. Pistorium Scriptor. rer. german. Tom. I. p. 429.

iiicenda videntur: quem ad modum egregie fallantur, qui Conradi I. aetate duces Germaniae ex feudis suis allodia constituisse et Fridericum I. imperatorem maiores ducatus atque prouincias denuo in feudorum formulam redigisse sibi persuadeant, ita non magis verum esse, origines dominii vtilis, quod vasalli in feudis habeant, ante legem de liberorum fratribusque in iis succeffione, non reperiri. Nam qui sic statuant, origines atque incrementa rei manifeſte confundunt. Verius autem atque ad fidem antiquitatis proprius ab aliis obſeruari, quae initio personalis fuerit clientum seu vasallorum obligatio, ex quo ea feudorum cauſa maxime ſucepta et cum ipſa feudi refutatione aut amiffione extincta eſt, realem magis extitifſe vel mixtam. Nam ut sanctior effet disciplina et officiorum diligentior cultus, leges de feloniam, qua feudum admitteretur, conuentae ſunt. Vno quoque autem tempore vtile dominium fuit complexus iuriū vasallo confeſſorum in feudo.

§. VIII.

Quaedam opiniones Doctorum de dominio directo et vili.

Etenim iureconsulti, cum viderint infeudanti quaedam iura dominii in feudo adſcribi, nec sine eius consensu feudum alienari posse, idemque stirpe, cui sub nexu vasallitico collatum, extincta, aut feloniam commissa ad eum reuerti; non immerito dominii minus pleni speciem, quod, vt ſu-



praediximus, directum appellauerunt. Vasallo autem omnes reliquos dominii effectus, praeter liberiorem disponendi facultatem in casibus exceptis attribuerunt. Quod utique rationem habent. Quin et, si partes ad assis romani exemplum secare velles, domino directo quadrantem, vasallo autem dodrantem dominii torte haud inepite adscriberes. Alii cum animaduerterent, domino directo in alienatione feodi nihil praeter dissentendi vel consentiendi facultatem et in casu aperturae recuperationem seu*li*, quasi successiōnem, qualis etiam agnatis et coinvertisis concedatur, esse seruatam: successionem in ius, quod contra domino vili innumeris locis dominium, quid quod proprietatem in feudo asseri, quasi viuis rei plures domini esse non possent, dominii directi veritatem negare sustinuerunt. In quam rem conati sunt vertere restitutionis vocabulum, visitatum in feudorum oblatione, quasi cum toto fundo etiam omne ius atque integrum dominium reddi offerentibus debuisset. Quemadmodum autem hi, ut contraria conciliarent, vasallum pactis quibusdam conditionibus omnino dominum feudi factum, et infeudanti interea nihil praeter aliqua iura reseruata, quae dominii nomen non mereantur, in eo superesse contendunt, ita alii omne dominium infeudanti, vasallo autem usumfructum tantummodo tribuerunt, ut expeditius rem exponerent, germanicum usumfructum sibi fingentes. Sed, quod pace virorum doctissimorum sit dictum, non possunt illi veritatem dominii directi de

de medio tollere. Immo vero largiri debent, domino infeudanti, praeter obligationem personalem et fidem, quam vasalli promittant, magnam dominii partem in disponendi aliquali facultate, quae in feudo sine ipsorum consensu non alienando conspiritur, deinde in iure clientem, qui feloniam admiserit, beneficio multandi, denique in iure rem omnem in feudum datam extincta infeudati familia fibi habendi, omnino seruari. Possimus et a denominatione dominorum, quo Seniores in antiquis legibus appellantur, a facultate super feudo vel in eum euentum, si olim aperitur, disponendi, ipsumque ius, quod directum dominium dicimus, alienandi, illudque domino,^{s)} qui non minoris dignitatis sit, offerendi in feudum,^{t)} plura sententiae nostrae argumenta repetere, nisi ea sic satis confirmata videtur, et nobis magis incumberet naturam et indolem dominii demonstrare.

§. IX.

Definitio.

Igitur ut iusta definitione rem complectamus, utile dominium iterum atque iterum dicimus complexum iurium vasalli in feudo. Liceat copiosius id describere sic, ut eo contineri dicamus omnem facultatem disponendi et transi-

C 3

gendi

^{s)} II. Feud. 34. §. 2. II. Feud. 55. §. 1. in fine.

^{t)} II. Feud. 23. §. 2.



gendi de feudo, saluo iure tertii, illudque vel ab ipso domino directo vindicandi, atque in heredes lege inuestituras comprehensos transferendi, idem subinfeudandi, seruitutem illi imponendi, hypothecam in eo constituendi, fundum mutandi, in dotem dandi, aliisque modis inter viuos alienandi, omnemque inde vilitatem percipiendi, ita ut consensus domini directi in omnem alienationem vel integri feudi vel partis, nisi singul'ari pacto in antecessum concessa adeoque alienabile beneficium sit, requiratur, fidelitas promissa seruetur, omniaque iura domini directi permaneant saluo in casu aperturae vel ex felonie vel ex stirpe successio- nis incapace, prouenientis. Trita haec sunt, fateor, sed fatis inde indoles et amplitudo dominii utilis elucescit, ad refellendos eos, qui merum vsumfructum vasallis concessum esse existiment.

§. X.

De titulo et modo acquirendi dominium utile.

Causa, ex qua dominium utile transfertur, est pactum vel tacitum vel expressum, quo proprietas rei aut mobilis aut immobilis inter seniorem et vasallum inaequaliter diuiditur, ita ut hic restricta, ille multo restrictior ex lege et consuetudine feudorum utatur. Vnde principium praxi quotidiana stabilitum, quod infusatio sit facti, adeoque probanda nec praesumenda, donec contrarium demonstretur.

tur. Haec pacta circa dispositionem de feudo et reciprocas obligationes domini et vasalli tam multisaria esse, quot species feudorum existant, iisque crebro nexus feudalem tantopere laxari atque immuinui, ut vel sagaci perscrutatori eius vestigia vix obueniant, notissimum. At in beneficiis quidem originetenus vasallagii lege clienti datis, vbi conventiones, quibus ex parte domini directi de abdicato domino vtili, et ex parte vasalli de obligationibus clientelaribus actum est, facile manifestantur. Sed sunt et alia exempla feudorum praescriptione quaesitorum, vbi bona fides et lapsus longissimi temporis, quo quis rem pro feudo possedit, senioris abdicationem dominii vtilis citra pactum expressum arguit. Caue tanien in feudis oblatis eadem abdicationem non factam esse existimes. Ne quid enim de multis et variis caussis, quibus tot fundi, iura et integra terra in feuda oblata sint, in medium afferam, vtique res tota ad nouum dominum ea lege, ut danti in feudum reddatur, peruenit, adeoque vasallus dominio eius vero exiuit et traditione symbolica illam habere quasi non definit. Ita in charta de anno 1197. Otto et Albertus Marchiam Brandenburgensem in feudum obtulerant Archiepiscopo Magdeburgensi, re promittenti, se bona eadem, quaecunque iidem fratres profatae ecclesiae contulerant, transacto anno et sex hebdomadis a tempore collationis, concessurum esse in feudo et iis restituturum vniuersa. Quis neget deinde proprietatem a dominis in vasallos transferri potuisse? Quam ob

¶

qb causa etiam viri doctissimi eandem feudorum oblatorum ac datorum naturam, et totam disputationem, vtrum feuda imperii maiori numero data an oblata sint, inanem et otiosam esse constituerunt: ^{u)} tametsi contra eos, qui, vt meliorem feudorum imperii conditionem efficerent, praeiudicatae opinionis errore abrepti ea in feudorum oblatorum numero habuerunt, saepe ostensum est, pleraque ab imperatoribus, vt cetera ab aliis dominis, ante inseudadinem proprio iure possessa vel hostibus crepta fuisse, inde vero sub lege militiae officiorumque fideliter agendorum, dominii directi iure penes priorem dominum retento, in vasallos transisse ^{v)}. Modus vero sollemnis transferendi acquirendique feudi inuestitura est; in quo inaugurationis actu usitata a maioribus symbola et ritus, quibus feuda conferre solebant, antiquitatum germanicarum peritos dubitare non sinunt, non utile tantum dominium, sed, quoniam veteres Germani eius possessoris separationem intelligere nequierunt, hanc ipsam quoque inuestitura collatam esse, quamuis hodie actualis feudi traditio, ne bello priuato via aperiatur, vasalli interdum inuestituram sequatur. Caeterum ab inuestitura etiam ante possessionis naturalem apprehensionem omnia iura in re, per legem feudalem concessa, incipiunt; id quod ex II. Feud. 2. pr. qua ea ipsa possestio dicta veluti etiam illud, quod constituimus, ultrem

^{u)} Chr. Thomasius de feudis oblatis.

^{v)} Textor. de feudis Imp. propriis, non oblatis, annumeratis.

riorem possessionis translationem non esse necessariam, recte colligitur. Praeterea II. Feud. 33. princ. feudum adquiri, traditur, successione, vel eo, quod habeatur pro inuestitura. Quod vti omnino verum est, cum feudum etiam usu longissimo capi posse iam dictum sit, in successoribus tamen ipsa inuestitura parentum, qui feudum pro se et liberis acceperunt, translationem dominii operatur atque ab iis noua inuestitura intra legitimum tempus peti debet. Etiam abusua inuestitura vtile dominium obtinetur, sed cuius exercitium ab euentu incerto, in quem ea collata est, pendet. Quae conditio facit, ut vasallo interim possidenti aut possessionem feudi ex pacto et prouidentia maiorum vel simultaneae inuestiturae caufa adhuc sperantि ea inuestitura non nocet.

§. XI.

Ius vasalli in feudo verum dominium esse demonstratur.

Vasallum non modo fructus ex feudo percipiendi, sed maior etiam ac potiori iure potiri, profecti sumus. Si definitionem dominii, quae in leg. 21. C. Mandati habetur, fugitiuo tantum oculo intuemur, idque meminimus ius esse vel facultatem rem sibi habendi, de ea libere disponendi eamque amissam vindicandi, nisi qua lex vel conuentio vel testatoris voluntas obstat, quis neget, ius vasalli in feudo verum dominium esse, cum restricta per legem vel conuenctionem disponendi facultas essentiam dominii non tollat? Nam profecto vasallus feudum sibi habet, de eo etiam dis-

D pónit



ponit libere, dum ius domini directi non imminuat; denique amissum a quoconque possessore et vel ab ipso domino directo, nisi tanquam commissum apertumque ad eum iure reuerterit, illud utiliter vindicat. Evidem olim vasallos, in primis Mediolanenses, feudum vel totum vel partem inficio saepe et inuitu domino alienasse non urgeo.^{w)} Fecerunt enim hoc sane iniuria, ut infeudantis domini ius clanculum interuerterent, et ipsi partem rei, quam retinuerint, spemque reliquae partis existente aperturae casu recuperandae, per vim aut fraudem adimerent. Atque hanc licentiam Lotharius II. noua lege coercuit,^{x)} repetita postea a Friderico I. Imperatore.^{y)} Quid vero, vtrum omnem omnino feudi alienandi facultatem hi Imperatores interdixerunt? Immo vero iuribus dominii directi duntaxat legibus ipsorum prospectum est. Nam et post ea tempora vasalli de feudo inter liberos disponendi, in eum etiam, qui ex pacto et prouidentia maiorum eius consequendi ius nactus esset, id sine consensu domini transferendi potestatem retinuerunt. Vxor quoque marito feudum in dotem dare potest, dum nec venditionis causa aestimatum tradat, nec pactum de lucranda dote adiiciat, quia, nisi alterutrum horum fiat, domini directi ius non minuitur. Et quis nescit, maritorum etiam dotes, vxoribus sine domini directi consensu in feudo

consti-

w) I. Feud. 13. II. Feud. 44.

x) II. Feud. 52.

y) II. Feud. 55.

constitutas, antiquo iure valere, modo feudum ex lege successionis ad eos moriendo deuoluant, qui voluntati ipso-
rum parere eorumque pacta seruare tenentur. Maior etiam vasallorum in subinfeudando libertas, quod frequentissime
factum reperimus, ita tamen, ut, nisi domini supremi con-
seensus accesserit, resoluto iure constituentis, soluatur etiam
ius constituti. E contrario dominus directus durante iure
feudi, de hoc in praejudicium vasalli disponere non magis
valet, atque id non apertum nec felonias caussa commissam
ab eo vindicare. Ex quibus omnibus liquet, vel maiorem
domini partem a vasallo quam a domino exerceri: et magis
dubitari posse, si rem ex veterum Germanorum princi-
piis aestimes, qui dominium et possessionem cogitando se
parare vix potuerunt, utrum iura infeudanti retenta domi-
nium sint, quam veritatem dominij, non ususfructus tan-
tum in vasallum translati, negandam videri.

§. XII.

De iuribus vasalli in beneficio amplius disputatur.

Iura vasallorum ex reciproca obligatione personali et
ex pacto fidelitatis protectionisque oriunda, a nobis, qui
de re in feudum data clientumque in ea iure scribimus,
praetermittenda sunt. Ex feudo autem cliens omnem utili-
tatem capere adeoque fructus ordinarios et extraordinarios,

D 2

accessiones

accessiones etiam, ut thesaurum,²⁾ exceptis tantum metallis atque mineralibus, quae inter regalia populorum germanicorum consuetudo medio iam aeuo reuelit,³⁾ iure lucrari, idque alterius ad utendum frumentum vel in subfeudum dandi facultatem habere, nemo admodum dubitat. Maiorem dubitationem atque ancipitem deliberationem habet vis sententiae, inscio domino directo, contra iura fundi in feudum dati, pronuntiatae, vel transactionis super substantia feudi a vasallo initiae. Sane ius feudorum commune vasallo transfigendi de feudo facultatem etiam ignorante domino tribuit⁴⁾, et quam interpres quidam distinctionem constituere, ut consensus domini opus sit, nisi ad consuetudinem feudi vnicet tendat transactio, sed aliquam alienationis vasallo non permissae speciem habeat, ea a Moellero⁵⁾ validis argumentis reiecta est, quanquam in curia Imperiali requiritur, ut consensus Imperatoris petatur. Quodsi mala fide aut contra ius domini infeudantis transegerit, huic utique subueniri debet. De rebus iudicatis autem quamvis vniuersitate verum sit, eas ius tantum inter partes litigantes facere, aliis nec obesse nec prodesse, facile tamen intelligitur, feudum sine domini directi consensus augeri, idque augmentum in domini

2) Carpzov. P. II. Conf. 53 def. b) II. Feud. 26. §. 21. II. Feud. 43.

6. n. 7. Hoppii Comment. ad §. 39. c) Moelleri pr. lin. vius praef. dist. Inflit. de rerum div. Harprecht ad sicut. feudal. cap. 19. dist. 8. add. eund.

a) Ius Prov. Saxon. Libr. c. 35. Obs. 92.

mini utilitatem, vergere posse. Quin si quid contra vasallum iudicatum fuerit, vel is cum aduersario transegerit, dum modo fraudulenter actum non sit, etiamsi post beneficium aperiatur domino, tale erit ac si eo caussam agente iudicatum fuisset, et ideo ab eo ratum haberri oportet^{d)}. Pari ratione, licet seruitus et emphyteusis, sine domini directi consensu in feudo constituta, non ultra vasalli constituentis herendumque eius possessionem duret, feudoque aperto exspiret^{e)}, obseruantia tamen passim commemoratur, quae seruitutem feudo semel impositam etiam aduersus directum dominum, quando illud ad eum reuerterit, tueatur. Quod vero, nisi singulari lege constitutum vel moribus citra controuersiam introductum sit, non in vniuersum defendi potest. Sed cui seruitus in feudo a vasallo constituta est, plerumque praeescriptione longissimi temporis, quae sola ad ius in alieno praedio acquirendum satis est, contra quemuis seruientis praedii possessorem ac dominum ius suum tuebitur.

§. XIII.

De actionibus Vasalli:

Iis in primis, quae contra dominum conceduntur.

Fortissimum sententiae praesidium in ipsis remediis iuris tam petitoris, quam pcessorii et maxime in feudi vindicationibus collocamus, quae vasallo tum contra alium

D 3

quem-

d) II. Feud. 26. §. 21.

e) Horn. iur. feud. Disp. X. §. 6. Wernher obf. for. P. VII. obf. 141. 142.

¶

quemque, tum contra ipsum infeudantem conceduntur. Non igitur ius eius in feudo confessoriam tantum actionem operatur, qua fructuarius vsumfructum praedii rite acquisitum ad se pertinere, dicturus sit, sed instar dominii vindicationem, veri illam apud iure consultos dominii notam. Quodsi vitio doctorum hoc fieri, nec formulariae juris-prudentiae verbis atque carminibus opinionem nostram approbari posse contendas, necesse est, ut ipsa primum legum praefidia nobis extorqueas, deinde, cum domini infeudantes hanc actionem in curia sua dent, quid ipsi iuris vasallo concessum velint, a quorum voluntate omnia pendent, parum referre censeas. Nam legum auctoritate clientes vindicandi formulisi vti, nemo temere negauerit, qui et recentiora de feudis edicta inspexerit, et secum reputauerit, maiora esse vasallorum, quam emphyteutarum in suis praediis iura; at iuris romani auctores, a quibus hanc formularum partem acceperimus, vel emphyteutis et superficiariis propter ea, quod ius emphyteuseos et superficie magis ad dominii similitudinem accederet, quam angustis vsumfructus finibus contineretur, vtiles agrorum vectigalium vindicationes attribuisse.

§. XIV.

De Vasalli alienando: feudum facultate.

Seniori nullam alienandi feudi, quantum ad vtile eius dominium attinet, potestatem, durante clientuli iure, nisi in

in eum euentum, quo dominium vtrumque consolidetur, superesse supra diximus. Nec vasallo necessitatem illud accepto prelio reddendi, citra singulare pactum, imponere potest. Quia moribus nostris, modo nouus emtor idoneus sit praestando seruitio, nec cetera dominii directi iura debilitentur, vt in orbitate vasalli venditoris, quo moriente feudum tanquam apertum in manus domini infeudantis recasurum esset, factum iri videtur, requisitus in alienationem consensus a domino directo facile denegari debet. Nam in vniuersum tenendum est, quod doctissime Ge. Lud. Boehmerus ^{h)} obseruat, iure veteri Germanico magis *quoad exercitium*, quam, vt iure Langobardico et partim Lotharii II. et Friderici I. legibus supra excitatis factum est, *quoad ipsum ius*, proprietatem feudi et vtile vasallorum dominium restringi per dominium directum. Maiorem in alienatione feudorum ante Lotharii legem libertatem ipsi libri feudorum Langobardici aperte testantur ^{g)}. Apud nos vero introducto demum Langobardico iure factum est, vt feudorum priuatorum sine domini directi consensu alienatio non tantum, ceu moribus antiquis inualida esset, sed etiam poenis subiiceretur. Quin prostant exempla plenissimae de feudi disponendi facultatis, irrequisito domini directi consensu:

^{g)} I. Feud. 13. II. Feud. 9. et 44.

^{f)} Boehmer. Princ. iur. feud. §. et Chr. Thomasius de cauiss prohibi-
253. 259. 260. 261. et 477. tae feudorum alienationis in select. feud. tom. II. p. 181.

[decorative flourish]

consensu: v. c. si priuilegio quodam data libera alienandi potestas, aut si consuetudine, vt in feudis Brabantiae^{b)}, introducta. Cum alienatio sit in personam originaria investitura comprehensam, etiam communi iure, nam et ipsa ratio hoc dicit, consensus domini non, nisi reuerentiae gratia, expetitur. Interdum alienandi facultas ordinario et communi feudorum iure liberior, sed pactis famen statutis conditionibus circumscripta est. Sic in Lusatia ex priuilegio Ferdinandi I. vasallus, cui nulli sunt liberi, feudi alienandi iure potitur, si eo corporis est vigore, vt equum armatus concendere atque sic praefecto principis se exhibere possit.ⁱ⁾ Iterus^{k)} stabibus particulam territorii sine consensu Imperatoris alienandi, et plenariam oppignorandi tribuit potestatem. Quod eatenus verum est, vt ex antiquis Germaniae moribus alienatio feudorum regalium vel partis eorum absque Imperatoris consensu peracta, invalida quidem atque inefficax sit, intuitu Imperii, quando feendum huic apertum fit, sed non illicita nec poenae subiecta^{j)}. Non vero dominium validius utili arguit haec libertas, vt visum quibusdam,^{m)} sed ipsam utilitatem dominii veritatem et vim antiquam confirmat. In Saxonia Electorali quameunque alienationem sine consensu domini directi initam, nec, re integra, illi manifestatam nullam, et priuatione feudi, non restituot emptionis pretio coercere iubent edicta de feudis proposita, d. 6. Jul. 1622. et d. 30. April. 1764. Tit. VI. Quibus ex diueris legibus satis liquet, modo laxius modo arctius restrictam esse feudi alienandi facultatem: tantam tamen

^{b)} Christiani Iurispr. heroic. ad Art. IV. p. 163.

ⁱ⁾ W. A. de Leibniz diss. de alien. feud. Lusat. sup. S. II. §. 3.

^{k)} De feud. Imp. Cap. XXIII. §. 2. 3.

^{l)} Bochmer l. c.

^{m)} Ge. Melch. de Ludolf de in- trod. iur. primogen. part. spec. apl. V.

tamen vbius vasallorum in ea re atque etiam in ipsis feudorum resumptionibus, de quibus sigillatim dicere, pro ratione instituti nostri non opus esse videtur, libertatem cerni, et toties adeo leges ac consuetudines non requirere, vt et domini directi auctoritas in alienatione interponatur, vt ii, qui huic iusto plus tribuant, vel eo argumento optime refellantur. Sed singularium regionum leges et obseruantias curiarum commemorare animus non est. Generalia iuris feudalis principia ponimus, vnde regulam, vasallo ius feudum alienandi salvo iure domini directi concessum, nec domino, nisi iussis de caussis, dissentendi, alienationemque prohibendi facultatem esse, plane deductam, satisque confirmatam esse putamus.


§. XVI.

Quomodo differant aliae species dominii utilis feudalitatis.

Supereft, vt paucis differentias aliarum specierum dominii minus pleni a clientelari demonstremus. Icti emphyteuticarum contractus naturam attentius intuentes eumque feudali simillimum iudicantes sane excusationem merentur, quod hunc ex illo originem traxisse Germanosque romanum institutum initatos esse contendunt, cum tot partium formae et in feudo et in emphyteufi eadem conspiciantur. Vtrum vero emphyteuta fidelitatem et reverentiam, aut, qui fundum in emphyteufin dat, mutuum affectum, tutelam, protectionemque promittit? Homagium, inauguratione et inuestitura, disciplinae clientelaris vocabula et contractus feudalis complementa sunt; nihil ad emphyteuticarum pertinent. Contra annus canon, emphyteutae, ob eum, intra biennium vel triennium non solutum expulsio, praedii in quemcunque heredem translatio, atque inter viuos liberrima, dum in venditionibus dominus praeferatur, atque ab extraneo emtore quinquagesimam pretii partem pro agnoscendo dominio

E

capiat,



capiat, alienatio, propria emphyteuseos, non etiam feudo-
rum sunt iura, nisi quod in feudo censuali, bursatico et he-
reditario mero hanc illamque similem conditionem et laude-
mii etiam de feudis foluendi necessitatem animaduertere li-
ceat. Ab vsumfructu ius feudi iam supra distinximus. Quod
si clienti nihil praeter ius omnem utilitatem ex beneficio ca-
piendi, illam vel judicialiter vel extrajudicialiter prosequendi
et impedimenta ipsi obiecta remouendi tribuendam putas,
dabimus, vtile dominium esse merum vsumfructum. Sed
ipsi huius doctrinae fautores cum intelligerent, auctores iuris
feudalis Langobardici, Saxonici et Suevici feudales vasallo
interdum aliquam proprietatem ⁹⁾ et dominium quasi, cuius
causa tanquam dominus rem vindicare possit, interdum
vsumfructum ¹⁰⁾ nominatim tribuere intellexerint, et si statim
omne dominium ipsi euertere coeperunt, vsumfructum ta-
men germanicum, qui non modo ad heredes transfeat, sed
et de ipsa dominii natura participet, ¹¹⁾ commenti sunt, at-
que huic vsumfructui iuris Germanici omnes dominii vtilis ef-
fectus inesse constituerunt. Germanos autem singularem
vsumfructus speciem in iure suo cognitam atque hoc nomine
insignitam habuisse, quis probauerit? Quod si hoc, quod ne-
gamus, approbari posset, nempe vsumfructu Germanico domi-
ni vtilis effectus omnes contineri, nomen, in quo faciles
sumus, adoptare non dubitaremos; vsumfructum autem,
qualem ius Romanum describit, feudum esse, negamus et
pernegamus. Quamuis enim leges romanae vsumfructua-
rium a cautione fructuaria saepe liberent, eumque actio-
nes in rem instituere posse haud ambiguum sit, quibus
argumentis ad contrariam sententiam confirmandam vt ad-
versarii solent, tot tamen supersunt eius atque vtilis dominii
discrimina, quot huius criteria recensuimus. Ipsi remissio
cautio-

⁹⁾ II. Feud. 8. pr. ¹⁰⁾ II. Feud. 23. ¹¹⁾ Itter de Feud. Imp. c. XX. §. 2.

cautionis fructuariae, quae semper in feudo exusat, est anomola,¹⁾ et licet fructuarius percipiat omnem rei utilitatem, thesaurum²⁾ tamen, quem vasallus sibi vindicat, utpote qui in accessionibus, non in fructu est, haud lucratur. Idem nec fidem promittit, nec ea violata feloniae poenam habet aut ideo ususfructu priuari potest. Ne faciem quidem fundi immutandi iure gaudet³⁾, nec ad heredes regulariter ius suum transfert. Itaque cum tot vasallorum sunt iura, quae fructuariis non competit, adeoque vasalli usumfructum ipius feudi aliis concedere queant, denique, si numerum partium inearimus, inseudantes multo minus de feudi dominio retinuerint, quam in clientes translatum, cur istam maximam proprietatis partem, quam tot seculorum usus vtile dominiuum appellavit, afferamus, usumfructum esse, et legibus peregrinis in re originis plane germanicae abutamur? Alia bonorum genera, in quibus species dominii utilis obuenit, commemorare supercedemus, cum eorum feudorumque differentiac haud difficulter intelligantur, atque harum ipsarum expositio aliena sit a consilio nostro.

S. XVII.

Cautiones nonnullae.

Quae vero de feudis in vniuersum scriptissimus, saluis nondique regnorum et prouinciarum legibus particularibus accipienda sunt. Quarum si tantum partem enarrare vellemus, dissertatio in magnum volumen ex crescere. Animus erat, principia legibus et consuetudinibus vniuersalibus stabilita brevi libello proponere. Haec bene callenda: sed in diuidandis de dominio feudorum utili eiusque effectu controuerfis siue publicis siue priuatis dispositiones speciales ante omnia ponderandae sunt, ne dominio directo nimis fauemus, et

E 2

utili

¹⁾ L. I. P. quemadmod. ususfr. caueat. ²⁾ L. 8. et 63. P. de ususfr. ³⁾ L. 73. d. 14.



utili quicquam contra ius detrahamus, aut etiam inesse arbitremur, quod non est, cum directi domini detimento. Quod si in unaquaque causa leges et consuetudines, tam yniuersitatis quam particulares, litterae inuestiture cautionsque reverales probe inspiciuntur, atque omnia sollicite discernantur, tum demum iustum feretur iudicium, vtrum alienatio sine domini directi consensu priuationem feudi mereat? an seruitus feudo ad seniorem redeunte eum teneat? an et quodnam ius habeat ille, qui feudum sine consensu domini directi alienatum possidet? vtrum aës alienum, in cuius securitatem vasallus feudum hypothecae subiecit, a domino directo sit soluendum? et reliqua. Circumspicendum igitur et cauendum, ne vitata Charybdi in Scyllam incidamus, euiteimusque scelerum studia, quae imprimis Germaniae iura publica depravaverunt, multarumque cruentarum dissensionum scaturigines extitere.

§. XVIII.

Conclusio.


Multa quidem, quae ad materiae dignitatem prodescant, explicanda iam praetermitto; sed filum est abrumpendum, cum Actorum centonibus circundato et forenibus implicito negotiis atque litibus, quarum inter strepitum hanc dissertatiunculam exaraui, vix tantum temporis reliquum fuerit, vt vel meditationis vel lectionis fructus colligere et in chartam coniicere potuerim. Optime sentio, quam exiguae ingenii vires sint, et quam parum queat opera imperfecta eruditioribus placere. Sed inter concatenatos labores satisfaciendum Academiae legibus, nec lectorum aquitatem et benevolentia diffidendum, qui, etiamsi multis offendantur, certe veritatis studium amore in nobis agnoscunt.

Praemia si studio consequar ista, sat est.

ULB Halle
005 361 435

3





EXERCITATIO IVRIS FEVDALIS 1780, 18
DE
DOMINIO FEVDORVM
V T I L I

ILLVSTRIS IVRIVM CONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

CAPESSENDIS

AD D. XI. MENS. MAI. 1780.

PROPOSVIT

CHRISTI. LEBRECHT SEYFERTVS

ADVOCATVS DRESSENSIS.

LIPSIAE

LITTERIS IACOBAEERORVM.